Hæc decreta facta sunt Anno 1576 die ultima Augusti per Ill.mum et R.ndmum D. Vincentium Laureum Episcopum montis Regalis et Comitis Nuncium Apostolicum.

Atq; hæc quidem rata eé volumus, cetera autem veluti Sacrorum Canonum et Concilij Tridentini decretis minimè consentanea Ap.licâ authoritate nobis specia[liter] attributa in hunc modum reformamus, ut scilicet in vinea Domini operantibus sua cuiq; et spiritualis ita et temporales merces sit præsto.

Ipsas igitur distributiones, quæ ad veteres nunc adiectæ, vix Quingentorum florenorum summam quotannis pertingunt, sic partiendas eé duximus, ut Prælati et Canonici qui Ecclesiæ inserviunt, suam quisq; pro summo Sacro horisq; singulis portionem quotidie obtineant. Quamobrem Matutinis simul et laudibus in totos (ut aiunt) duplices festos quindecim, in reliquos verò dies decem grossos (Vesperis par servetur distributionis ratio) reliquis horis singulis eodem festo, ternos, alijs diebus binos, summæ (quam vocant) Missæ ips.s festi Triginta quinq;, alijs verò diebus Triginta grossos in distributiones quotidianas perpetuo assignamus, hac tamen lege, ut harum particeps eé tantum is censeatur qui Missæ initio cantus Kirieeleyson, matutinis cum suis laudibus ac reliquis horis cum primus incipit Psalmus usq; ad singularum horarum finem interfuerit.

Ne autem Ecclesiæ inservientium numerus unquam desit, volumus ut partes negligentium diligentibus accrescant, eædemq; ipsis veluti propriæ dividantur.

Atq; id omne quidem firmum ratumq; fore nec aliter quam ipsiusmet Sedis Apostolicæ authoritate interpretandum declarandum aut immutandum eé decernimus, et quicquid secus, super his a quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentare, irritum et inane fore et eé etiam nunc eadem Apostolica authoritate declaramus non obstantibus consuetudinibus Exemptio=

nibus

59

nibus et Privilegijs etiam ab eadem Sede obtentis et ab immemorabili tempore obseruatis cęterisq; contrarijs quibuscunq;.

Excommunicatos.

Cum vero excommunicatio extremum aduersus conscientiæ vulnera remedium sit ea non nisi vrgente necessitate ac magna cum circumspectione vti Ecclesia consueuit, ne præsidium ad salutem inuentum, perniciem vllo modo inferre queat, Causæ igitur accuratè et diligenter sunt examinandæ, quibus si ad censuras sit deueniendum modus à Sacris Canonibus præscriptus excedi nequaquam debet, vt scilicet in aliquem huiusmodi sententia non feratur, nisi admonitionibus legitimè præcedentibus, atq; ijs præsentibus, quorum testimonio (si necessitas postulat) eiusmodi admonitiones probari queant. Alioquin Episcopus subiaceat Canonum pœnis, atq; ijs præcipuè, quæ à Canone in Capit.º sacro approbante Concilio de sententia excommunicationis impositis sunt.